



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 99. Origo nominis Geusii Protestantibus in Belgio attributi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul. XVI
A.C. 1566.

„constat, nam feci, quod muneris mei
„ratio postulabat, ut tam, dum a mul-
„tis certior fiebam de foedere, nescio
„quo, cum exteris inito, Præfectos,
„ac Magistratus commonefacerem, ne
„per eam occasionem non tam a Belgis,
„quippe quos Regi fidos experta semper
„eram, quam a finitimis, quos sibi ag-
„gregaverant, aliquid in Provinciis tur-
„baretur.„ His dictis Nobiles a se di-
misit, nullamque mentionem, quamvis
conjurati id magnopere flagitassent, de
delatoribus fecit, quia sub oblivionis
specie ejusmodi quæstiones, quæ ple-
rumque exitus habent periculosos, de-
clinare voluit, sive potius se offensam
credebat hac petitione, per quam vel-
uti adstringi videbatur, ut Imperii ar-
cana detegeret: abeuntibus ergo Depu-
tatis totam rei gestæ seriem ad Regem
rescripsit.

§. XCIX,

*Origo nominis Geusi Protestantibus
in Belgio attributi.*

Grotius an-
nal. l. I.
pag. 10.
Strada &
Thuan. l. c.

Sub idem tempus, quo hi Nobiles ex
aula discesserant, Barlamontius Co-
mes Protestantibus summopere infen-
sus Gubernatricis animum erecturus
eidem dixit: „ejusmodi homines non
„sunt timendi, sunt enim reipsa nil
„nili *Geux*, seu mendici, vel habitu
„ut

„ut tales comprobati.,, Inde ortum trahit, quod illi, qui in Galliis Hugonottæ, vel Protestantes appellantur, in Belgio voce Gallica *Gueux*, seu *Geusii* vocentur, quippe Brederodus hanc vocem ex Barlamontii ore percipiens, cum altera die trecentos ferme conjuratos convivio exciperet, atque ibidem de nomine huic societati dando ageretur, ipse subridens præ ceteris primus dixit, eandem esse nominandam mendicorum, seu Geusiorum societatem, quod reliquis quoque placuit.

§: C.

*Libellus conjuratis a Gubernatrice red-
ditus adjecta ad marginem
responsione.*

Altera die conjurati ad Palatium re-
vertebantur, responsum ad suum
libellum præstolaturi, hos igitur Gu-
bernatrix specietenus benigne excepit,
eisque libellum reddidit adjecto in
margine responso, quo intermittendæ
Inquisitionis, edictorumque moderan-
dorum spem faciebat, Regem tamen
prius consulendum inquiebat: porro
pridie in suo Senatu proponebat, an
requirendum esset a conjuratis, ut suo-
rum nomina declararent, eo quod in
supplici libello duntaxat subscripsissent:

nos

Sæcul. XVI.
A.C. 1566.

Strada de
Bell. Belg.
l. 5.